...tianus
...sicensis

Wresnani Bartholomi: Poëma lugubre in funus Illustris et Magn. D. D. Jcb. Comitis in Wisnic Lubomierski etc.

POEMA LVGVBRE,

In funus Illustris & Magnifici Domini, D.

SEBASTIANI

Comitis in Wisnic

LVBOMIERSKI,

CASTELLANI WOYNICIEN. CAPITANEI SENDOMIRIEN. DOBCZYCIEN. &c.

Senatoris prudentiſsimi, patriæ amantiſsimi, mortui X. Cal. Iul. Sepulti Nonis Aug. Anno Dñi, M DC.XIII.

Illustri & Magnifico Domino, D.

STANISLAO COMITI IN WISNIC LVBOMIERSKI CAPITA. SENDOMIR. SANDECEN. DOBCZICEN. SCEPVSI. &c.

Filio mœstiſsimo.

Illustriſsimæ

SOPHIÆ DVCISSÆ AB OSTROG,

Coniugi ipſius dulciſsimæ.

Illustri et Magnificæ Heroinæ

ANNÆ DE RVSCA VXORI DEfuncti tristiſsimæ.

Cæterisq; omnibus cognatis, ac hoſpitibus ad hanc diei celebritatem congregatis.

Oblatum à M. Bartholomæo Wresnano Collega Minore.

In Arma Comitum in Wiſnic LVBOMIRSCIORVM.



Quid video? Fluuij ſinuoſa volumina lati,
Quæ Diadema, tubæ, condecoratq; Leo.
Per ſpacium Regni decurrit viuida virtus,
Splendeſcunt gemmæ, fulua metalla micant.
Immanis rugit Leo, bina per áëra leuem
Aera ſonant, gentis fortia facta canunt.
Quis LVBOMIERSCIADVM virtutes neſciat amplas?
Quid niſi virtutes ſymbola pulchra notant?
Relligio, pietas, rerum prudentia mater
Iuſtitia, hîc patriæ regnat amorq; ſuæ.
Hîc animus clemens, moderatæ hîc mentis imago;
Hîc ſem per florent, quæ bona quiſque putat.

In arma Illustrissimæ Domus OSTROROGIAE.



Fortis eques dextrâ gladium bene vibrat acutum,
Alterius telo sternitur ipse Draco.
Crux, Phœbe, Sydus, niueum diadema resulgent,
Horrescit spolijs Partha sagitta suis.
Agmnina concurrunt virtutum in stemmate tali,
Quæ Moschus fallax, Turca Scytęq; timent.
Quæq; suam decorant patriam felicibus ausis:
Conueniunt Ducibus symbola tanta bonis.

In Stemma ANNAE de Rusca Comitis in Wisnic, flosculi Gentis BRANICIORVM.



Gryphs alis, curuis armatur et vnguibus, vnco
Tum rostro: pedibus fert auis ista tubam.
Scilicet illa canit fortißima pectora gentis
Braniciæ, oppositos, Gryphs velút, illa necat.
Illa vocat multos connectens vincula pacis,
Magnanimis claros iungier hercle decet.
Ecquis virtutes non amplexetur honestas?
Hæc sunt Braniciis arma decora piis.

Dedicatorium Carmen
Ad Illustrem & Magnificum Dominum, D. STANISLAVM COMITEM IN WISNIC LVBOMIERSKI. &c. &c.

LÆta priùs cecini, nunc tristia carmina pango,
Inferior mundus suscipit ore vices.
Nunc atræ nubes pendent, nunc lumina Phœbus
Iactat, fluminibus surgit, et vnda cadit.
Arborei fœtus foliis viduantur, iisdem
Ver postquam rediit corpora nuda tegunt.
Res variæ canâ clauduntur in orbe pruinâ,
Ac iterum solis dissipat illa calor.
Quod fuit inferiùs, consurgit in alta frequenter,
Quæq; fuère supra rursus ad ima ruunt.
Omnia sic variis vicibus mutata feruntur.
Excipit heu morbum sanus, et æger opem.
Excipit infirmus mortem, quæ cuncta repente
Occidit: genito stat sua cuiq; dies.
Læta priùs cecini, nunc tristia carmina pango:
Inferior mundus suscipit ore vices.
Læta prius lætus cepisti fronte serenâ
Heros, ducta tibi cum noua nupta fuit.

Tristia

Tristia nunc etiam capias genitore perempto,
Deinde tibi faciet tristia læta Deus.
Deuincas animo tristißima fata, polito
Artibus ingenuis, moribus atq; bonis.
Erige Maiorum pulcherrima semina victor
Tristitiæ: doctos res ea namq; decet.
Externi fines mentem coluêre per artes
Rite tuam, sequitor dogmata certa libens.
Quin et Sarmatiæ Musarum fulgida mater,
Te iuuenem docuit vincere mœsta citò.
Vnde foues illam studiis, releuasq; parentem,
Dignum laude virum te colit illa frequens.
Sæpe tuas vidit virtutes patria magnas,
Quas hostis cernens horruit ipse nimis.
Cernens indoluit odio exagitatus iniquo:
Inuidiæ rapidus pectora feruor edit.
Ictus quam forti truculentos mente tulisti
Smolensci impugnans mœnia vasta manu!
Brachia testantur saxo percußa rigenti
Aëre quod liquido terrifica æra vomunt.
O quoties campos triuisti corda laceßens
Moschorum, gestus Rege vidente tuos?
Iam quot duxisti fulgentes ære cateruas
Vecta fuit Regi dum noua Nympha pio:

Consi-

Consilium prudens iuuenilis suggerit ætas,
Quid non (spes pascit) curua senecta feret?
Quàm grauis in docto tua stat sententia cœtu
Cum dicunt equites ordine vota suo?
Quàm tibi vis animi mederatrix pectora format!
Quàm iustus, simul et viuis in orbe pius!
Quantus amor patriæ! quàm te clementia charum
Omnibus ostendit! Sic celer alta petis.
Crede mihi virtus tua surget ad astra decora,
Hæc te felicem laudis honore dabit.
Nunc ego magnificum tibi vates grator honorem,
Quem tibi dat virtus Rege fauente nouum.
Surge age, viue diu, patrios et dilige manes,
Surge, tuos natos luminibusq; vide:
Quin claros etiam factis super astra nepotes,
Meq; in præsidium suscipe quæso tuum.
Suscipe, quæ promptus dico tristia carmina vates,
Inferior mundus suscipit ore vices.

MANES AD HOSPITES.

Vixi; ſed colui ſpacioſa palatia quondam,
In terræ gremio nunc mihi parua domus.
Quid iuuat Heroas celſos habitaſſe penates?
Quod quis habet, tollit mors fera falce breui.
Sola iuuat virtus. Virtutem quærite prompti:
Hæc etenim reſerat limina lata poli.
Et licet in gremio degant mea corpora terræ:
Spiritus at liber nunc pia vota petit.
Dicite vos igitur defuncti manibus omnes,
Quem pia mors rapuit, ſuſcipe Chriſte Deus.

CARMEN.

LVgubrem Herois mortem, planctumque suorum,
Sarmatiæq; graues luctus lachrymasq; madẽtes,
Quas dolor expressit placido de pectore iustus,
Tum lætas comitum voces quæ passibus æquis
Sarmatiæ sese haud dubitant adiungere matri,
Ore cano vates, quibus altus Olympus, & ima
Insonuit tellus, vrbes, syluæque profundæ.
Tu fer MVSA mihi validas in carmina vires,
Cur illæ tantas vastum super æthera mittunt
Voces? Quid causæ est lachrymas effundere mœstas?
Auribus hæc patulis hausisti, dicere totum
Sic potes, ac tristes in vulgum spargere luctus.
Est locus ad celsos montes, vbi surgit in altum
Arx fabricata polum, præciso vertice rupis,
Aëriæ, latis nimium circumdata muris,
Turribus insignis variis, tectisque superbis,
Vngaricos spectat fines, collesque supinos.
Raba per ima ruit geminatis cornibus acer,
Vndantes raptans fluctus tenuesque lapillos,
Prospiciens virides syluas, camposque iacentes,
Quẽ DOBCZYCE homines patrio cognomine dicunt.
Nec procul exurgunt villæ, amplaque mœnia Craci,
Hanc sedem coluit crebrò Lubomierscius Heros

 Vir

Vir grauis, eximium Regni decus, atque Senator
Consilio prudens, antiquæ gloria gentis.
Nunc etiam multis factus iam segnior annis,
Sponte tamen voluit solitis succedere tectis.
Interea fera mors nudis circumuolat alis
Omnigenam mundum, bene telo armata cruento:
Terra parens genuit monstrum commissa nefando
Flagitio, postquam altitonans super arbore vitæ
Non iusit manibus fructum decerpere auaris,
Sed mortale genus violauit iussa tonantis,
Ossibus ex duris compactum, naribus vncis,
Auribus, atque oculis cassum, sine carne, sine vllo
Ornatu, horrendum visu, quod nulla voluptas,
Nullaque flectit melle fluens oratio Tulli;
Læuâ non rediens tempus metitur, & horas.
At falcem dextrâ gestat, quâ demetit omnes,
Cum vult mortales, sexus non permouet illam
Non ætas, doctæ non artes, nonque refulgens
Virtus, quin nec opes, nec corporis ora venusti:
Pone homines premit à tergo, sed nuntius olli
Est morbus, finem vitæ qui portat amicæ.
Hæc vbi cognouit vix iam restare, quod vltra
Effluat, heu magni WOYNICKI, misit in aulam
Morbum, qui subtus cruciet miserabile corpus.
Ocyùs ille virum inuadens in viscera sæuit,
Infundens membris saniem, tetrumque venenum.
Effugere exoptans dirum morbum impiger Heros.
Nunc

Nunc huc, hunc illuc, curru sublimis in auras
Carpit iter, villas fumantes visit & arces.
Haud illum retinet mordens iniura morbi.
Accipit Heróëm W i s n i c comitatus in aulam
Egregiam, sed ibi haud morbus requieuit amarus.
Inde petit veteris fulgentia mœnia Craci,
Inuisitque V o l a m; propior quæ prospicit vrbem
Pura vbi per campos spaciosos aura flat, ægrumque
(Istula namque pater liquidis prope voluitur vndis)
Demulcens corpus, perfundit membra vigore.
Non iuuat infirmum locus, intrò morbus adurit,
Atque feræ mortis crudelia iussa capessit.
Denique fert sese curru W o y n i c i v s Heros
Per montes, campos virides, agrosque feraces,
Lætaturque videns segetes, ridentibus aruis
Cui famuli circum sexcenti sanguine claro
Prognati, stipant latus, & comitatur heriles
Cursus, magnificum ac domini tutantur honorem.
Ingreditur D o b c z y c e frequens in rupe locatam
Assurgit morbus, fragiles in corpore vires
Deficiunt, vexantque viri fastidia pectus.
Tum vocat vxorem dulcem, natumque, paternas
Delicias, priscæ spem multa in secula gentis,
Languidulisque nimis labiis hæc sponte profatur.
Suauior ô vitâ coniunx dum fata sinebant
Tu quoque nate, decus nostrum, & spes vnica stirpis.
Mî prope mors instat, morbus conquassat anhelum,

Alloquor extremis vos dulcia pectora verbis:
Nate, Deum venerare tuum, timor illius horis
Omnibus ante oculos volet, hæc ſapientia prima eſt.
Tum patriis fer opem laribus, te patria charum
Non ſegnis natum binis amplectitur vlnis:
Sed regale volens primûm diadema ſequaris;
Illum namque ducem voluit Deus eſſe Polonæ
Gentis qui populos, & regna teneret auita.
Deinde piam matrem cole, quæ te luminis oræ
Infudit, ſemper meritum ſibi defer honorem:
Sic etenim felix longos florebis in annos.
Non paucos video, quos refrænabis habenâ
Imperij, de more patris tu ſubdita colla
Dilige; namque homines melius vincuntur amore.
Sæpe timor gelidus fert mille pericula vitæ.
Pauperibus clemens eſto, primùmque miniſtris
Altitoni veris, quos ſancta Eccleſia format:
Nam poterunt cælum nobis reſerare profundum.
Poſt mea fata, rogo, ſis æquus, & omnia reddas
Pro meritis cuiuis, docet iſthæc pagina ciſtæ,
Efficies demum ratio quod recta docebit.
Iamq́ue vale, Deus ex alto benedicat Olympo,
Fortunetque tuos actus pro laude perenni.
Hoc noſtri nunquam morituri pignus amoris
Accipe. Mox aurum digitis auellit Eoâ
Cum gemmâ, charo dans ſplendida munera nato,
Porrigit & claues patrium teſtatus amorem.

His

His dictis oculos auidus conuertit, & ora,
Vxoremque suam lachrimis affatur abortis.
ANNA mihi dilecta nimis, nos vincula in vnum
Connubij vinxêre sacri, neque tristia debent
Funera sacratos animi disrumpere nodos.
Quicquid ero (sed enim fieri spero incola cæli
Id famulis Christus promisit, fallere nescit)
Me semper studij gratum post funera nosces.
Dumque trahes vitam, mentem ne sauciet altam
Cura, tibi certas ditiones inclyta coniunx
Decerno, haud dubiis animo quibus vtere læto.
Tu mihi rite fidem sanctos moresque probasti,
Tu comes in vario fortunæ sola fuisti
Flatu, tuque domum decorasti prole venustâ,
Vnde genus nostrum claris cum stirpibus vltrò
Icit amicitiæ cælestia fœdera diuæ.
O lux BRANICIAE stirpis, dum spiritus artus
Hosce tuos reget in vitâ iis vndique felix,
Atque memor nostri, tibi sit benedictio summi
Sancta Dei, natisque tuis, queis vita superstes.
Namque tenent alij vasti iam culmina tecti,
Post mortemque piam cælestia gaudia carpunt.
ANNA vale, cunctique simul. Sic fatus ab ore
Languidus obticuit, magno deuictus amore,
Atque dolore graui, qui corporis occupat artus.
Natus pauca refert. Mihi quæ pater ore dedisti
Iussa, libens faciam, das & quæ munera gratus

Acci-

Accipio, mentisque volo memor esse paternæ,
Quodque mihi dicas bene, pendat Rector Olympi,
Sit melius tibimet pater, hoc nil dulcius vnquam est.
Hinc patris amplexans languentia colla pependit
Collachrymans, victus pietate, haud plura locutus
Sed cadit in terram pronus, cui ritè ministri
Subiiciunt vlnas, Dominum releuantque cadentem.
Tunc duro coniunx dulcis concussa dolore,
Densas effundit lachrymas, atque oscula figit
Nota viro, manibusque suis amplectitur artus,
Insuper hæc breuiter dixit, solata maritum.
O mea vita, nimis linguâ quid membra fatigas
Multiloquâ? Mihi quidue vale iam dicis ab ore?
Crede super viues, modò fac tua membra quiescant.
Pharmaca depellent morbum, natura iuuabit.
At senior languet morbo crescente per artus:
Viuit enim viresque suas extendit & angit.
Tempore non alio pede mors fera limina scandit,
Perque gradus vadens stridentes concutit alas.
Horrenda ossa sonant lateri falx hæret acuta
Effluit hora, diem vitæ quæ claudit amicæ,
Illa cauos orbes capitis gerit horrida multum
Nullus eam sanus cernit, sic lumina fallit.
Ægrotus sentit, quia morbus membra lacessit,
Ista seni ostentans clepsydram talia fatur.
Effluxit vitæ spatium, iam desine tandem
Viuere, sic visum superis. Mox corpora durâ

Falce

Falce petit, cæditque virum quem sponda refulgens,
Auro, mollibus in stratis acceperat ægrum
Protulit hîc languens vir ab ore nouissima verba.
In sacras commendo manus tibi Christe Redemptor
Hanc animam cælo tractam, quam sanguine sancto
Faucibus è stygiis rapuisti, suscipe clemens.
Diriguitque statim & frigentes clusit ocellos.
At morbus cum morte ferâ discessit in auras.
Fit clamor tectis, resonant alta atria circum,
Discurrunt famuli, lamentis omnia complent
Fæmineæque manus vlulant, ferit æthera plangor.
Occidit heu nostri fiducia maxima cordis,
Occidit ille pater, nulli pietate secundus,
Occidit heu Dominus, quo non clementior alter.
Heu miseras sortes? vbi talis in orbe panonus?
Nos hîc vt decuit multos exegimus annos.
At modò quas tandem gressus vertemus in oras?
Sic voces geminant lachrymisque calentibus ora,
Ora genasque rigant famuli, digitisque capillos
Vellunt, deiectis oculis cursantque per arcem.
Obstupuit coniunx, vbi vidit fata mariti.
Vult niueis labris mærentes fundere voces
Nec potis, horribilis dolor intus membra fatigat,
Iam solitæ cessant vires, calor ipse relinquit
Externas partes, præceps cadit inscia vitæ.
Pone suam matrem castissima labitur vnà
Infelix oblita sui tunc filia, patris

Esse.

Effœti ſenio frigenti magna voluptas
Accelerant famulæ reuocantque liquoribus vdis
Amiſſam vitam, frontemque & tempora inungunt.
Atque prior coniunx manibus percuſſa lacertos
Ecquid (ait) viuo? mea lux vbi? ſtamina Parcæ
Abrumpant, vltra liceat ne ducere ſoles,
Atque videre oculis fulgentis lumina Phæbi.
Diſceſsit mea lux, tenebris immerſa profundis.
Heu mea ſpes iacet, ac fidi ſolatia cordis,
Quò vertam greſſus? Quis me ſolabitur ægram?
Siccine mi coniunx iaceas reuolutus arenâ,
Pectoribus tacitis æterna ſilentia ſeruans?
Quis te ſubtraxit noſtris amplexibus? Eheu
Me miſeram necuit dulcem mors atra maritum.
Sic effata manu mærentia pectora tundit
Irroratque ſolum lachrymis crinesque reuellit.
Filia vix animum ſerò iucunda recepit,
Demiſsisque oculis, roſeo ſic infit ab ore.
Heu genitor ſuauis, mea ſpes, mea vita migrauit,
Flos LVBOMIRSCIADVM truculentâ falce reciſus
Aruit. O Superi, date lympham cælitus ori
Et ſi fata ſinunt, gelidum reuocate parentem.
Non ego te genitor dulciſsime nata loquentem
Excipiam, riſusque tuos, ac iuſſa paterna.
O ſuaues oculi nimium, labiæque, genæque.
O pectus niueum, quod membra tenella dediſti
Natis, ſicne riges? Quid fundere verba recuſas?

Sed

Sed Deus hoc voluit: data lex est omnibus vna.
Iam requiesce pater cælum deductus in altum,
Nosque tuos, Superos flectens, solare per orbem,
Conticuit tenero suspiria pectora ducens,
Virgineæ manant lachrymæ, faciemque nitentem,
Et vestes auro fuluas, terramque tenacem
Inspergunt, pietas humentem prouocat vndam.
Filius has iuxta generosi patris imago,
Singultus grauiore trahit de corde dolentes,
Incusans atram mortem cui ferrea tantum
Vis dedit, innocuos vt posset perdere telo
Heroas, patriæ munimina fortia charæ.
Mi pater ergo iaces? vbi nunc es nostra voluptas?
Splendor vbi patriæ? fulgens vbi gloria gentis?
Vita hominum fragilis breuibus dilabitur horis,
Solaque post mortem tristem manet inclyta virtus,
Sauromatum Regno meritis post funera viuis
O genitor, nullis tua laus moritura diebus.
Mors tua vita tibi, de mundi mole caduci
Migrasti, meliora vides super arce polorum
Viue Deo felix mortali corpore liber,
Hæc benefacta tibi cumularunt præmia cæli.
Quod superest corpus referemus, & ossa sepulchro
Fumabunt pro te sanctis altaria donis
Crede mihi non ara tuum reticebit honorem
Sarmatiæ Regnum dum stabit, templaque Diuûm.
Hæc memorat lachrymis tristi luctuque refertus

 Filius,

Filius, exequiasque parat pro laude vetustâ
Maiorum, claræ florescunt stemmata gentis,
Factaque nota suis renouantur fortia patrum
Temporibus, Lubomirsciadæ virtutibus omnes
Fulserunt, & nunc virtus est cognita mundo.
Insternunt intus pomposa palatia nigrâ
Lanâ, mox habitu velantur corpora pullo,
Omnia nigrescunt tristem referentia luctum.
Miscentur lachrymæ, pia mors decoratur honore.
Tempus erat, quo Phœbus equos super ardua cancri
Brachia direxit, tremulum dans lumen in orbis
Climata, læta coquens sitienti prata calore:
Cum partes mundi volitaret fama per omnes,
WOYNICIVM cecidisse grauem, iubar ore coruscum,
Et decus imperij, summis virtutibus auctum.
Sarmatia extemplo mater veneranda dolorem
Ore ferens, & corde pio, succincta nigranti
Pallâ, sponte venit famulis comitata duabus:
Olli pulchra comes virtus, & gloria cultu
Simplice, WOYNICII mortem deflere ferocem
Huc genitrix properat pedibus, cui deinde gemellæ
Dant famulæ vero solatia corde profecta.
Sarmatia ergo parens tales dedit ore loquelas.
Sicne mihi recubas matri LVBOMIERSCIA proles
Inclyta? Quis rapuit te nobis? Stemmata patrum
Non veritus, priscæ aut fulgentia numina stirpis?
Heu miseram sortem, data quæ mortalibus ægris,
Tem-

Tempore non longo terris homo viuit apertis.
Quumque magis floret, rapit inclementia mortis,
Nec metuit fasces Regum, nec ſceptra Tyranni,
Diuitias minimè vel ſummos curat honores.
Ergo iaces terrâ LVBOMIRSKI ſtratus in vda?
Deſeris heu fili charam dulciſsime matrem:
Suauia nonne tibi placuerunt vbera matris
Sarmatiæ, pleno quæ ridens ore bibiſti?
Sic Superis libuit fatis, diuina voluntas
Omnia diſpenſat, vitam, mortemque, decusque,
Et meritis hominum iuſtiſsima præmia confert.
Heu miſeram ſortem data quæ mortalibus ægris,
Tempore non longo terris homo viuit apertis.
Stemmate Maiorum quàm fulgens nate fuiſti
Sauromatum Regnis quæ nota, ſimulque propinquis
Finibus Vngariæ; longè latèque per orbem
Vt Phœbi radius micuit LVBOMIRSCIA virtus.
Quantus enim genitor vixit STANISLAVS olim?
Ille acies Turcos contra forteſque phalanges
Duxit in Vngariâ, multos geſsitque per annos
Bella cruenta manu validâ, felicibus auſis,
Sæpius effuſo maduerunt ſanguine campi,
Et fluuii ripas videre cruore madentes,
Impia gens pœnas Turcarum ſumpſit acerbas,
Ille prior caſtris fuit, acrem primus in hoſtem
Iuit, & horribiles telis inuadere turmas
Ante alios auſus, virtus ita pectora iuuit.

Pannoniæ Heröes mirati ex ordine longo
Pectora tanta hominis, dextramque, animumq; virilé.
Qui KOSTKA Vngaricis olim consederat aruis
Heros magnanimus factis super æthera notus,
Ille Stanislai LVBOMIRSKI facta stupenda
Vidit, & ad celsum dignis vectauit Olympum
Laudibus, ingenui Mauortis pignora credens.
Tantus erat genitor tuus, isthæc pectora gessit
Per vitæ cursum, pulchræ virtutis amator.
Et postquam in patriam externis bene sanus ab oris
Iam rediit, memini rectè, vir amabilis illo
Tempore, virtutem propter moresque venustos
Omnibus; inde fuit SISMVNDI clarus in aulâ
Primi, qui patriæ pater est cognomine dictus,
Ob res præclarè gestas in Marte togaque.
Vxorem duxit Lauram, quæ venerat oris
Ausoniis, florem morum nitidæque iuuentæ,
Illa Bonæ fuerat Reginæ nobilis ortu
Fida comes, genuit natum, sed morte peremptus
Annis occubuit primis, quem Laura secuta est.
  Heu miseram sortem data quæ mortalibus ægris,
  Tempore non longo terris homo viuis apertis.
Altera deinde dies post multos ducitur vxor
Huic Lubomirsciadæ, faciem pulcherrima virgo,
BARBARA GRVSCOVIA clarâ de gente per oras
Pannonicas, cuius pergratam KOSTKA sororem
Consilij sociamque thori tenuisse iugabis

Fertur,

Fertur, homo clarus factis, & nomine magnus,
BARBARA diues opum, niuea virtute refulgens
Corpore splendidulo Dominæque simillima Cypri.
Hæc sibimet multas stirpes sociauit in vnum,
Quas retinet gremio generosas Vngara tellus.
DERSFIA stirps variis uirtutibus aucta, reuincta est
Sanguine Gruscouio, simul ac TVRSONIA proles
Quid memorem PODMANECIOS pietate verendâ
TEKELIOSque graues, VESELINOSque potentes?
Quid reliquas stirpes? Quis cunctos dicere versu
Possit, & ad vastum verbis extollere cælum?
Vngaricos campos affines vndique Magni
Iure colunt, Turcasque suis à finibus acres
Aere, manu, telis, animoso milite trudunt.
Felix prole parens, GRVSCOVIA BARBARA felix
Edidit hæc vnum natum, quem falce recisum
Nunc cerno ante sedes, nunc est mihi lumen ademptũ.
Heu miseram sortem data quæ mortalibus ægris,
Tempore non longo terris homo viuit apertis.
At plures genuit natas sub luminis auram.
Ex his PRZITCOVII coniunx CATARINA pudica
Extitit insignis vitâ, probitate fideque,
Przitcouiamque domum decorauit prole venustâ.
Ingens ANNA decus, WIERVSCIA tecta sub intrans,
Addidit his lucem morum grauitate polita:
Hæc matrona grauis, pia, relligione parentum
Splendescens, curæ, senij, morbique dolentis.

Est

Eſt patiens, cumulat ſibi viuens munera cæli.
STANISLAE tuos quis nolit carmine fratres
Concelebrare viros virtute per æthera notos?
Vnus Subdapifer fuit aulæ luce coruſcà,
Et morum, & generis, Regi chariſsimus ipſi,
Atque Sanocenſis vixit Capitaneus olim.
Alter IACOBVS longè maiora ſecutus
Sacratas ſedes coluit, de more ſacerdos
Vnctus, Sandeciæ monialia pectora verum
Ad finem ducens iuſtis direxit habenis
Floruit is clarus vitæ integritate caducæ,
Diuino cultu fuerat nil ſuauius illi,
Quid melius quæſo? hoc dempto, ſunt omnia fraudes.
Nunc ego te referam verſu LVBOMIRSCIA pubes
LAVRENTI, patriâ pro dulci vulnera paſſum,
Vulnera quid dico? lethum ſubiiſſe cruentum.
Bucouina tuum ſemper teſtatur honorem:
Nam bello pugnans cecidiſti fortiter illo.
Ergo tuas laudes, nomenque, decusque Poloni
Cantantes ſublime ferent ad ſydera cygni.
Hæc ego dum memoro, lachrymis confundor obortis
Quod cernam natos tot, tot periiſſe priores.
  Heu miſeram ſortem, data quæ mortalibus ægris,
  Tempore non longo terris homo viuit apertis.
Quàm florens vixit LVBOMIRSCIAS inclyta quondam
OCIESKI coniunx belli Ducis. illa Scytharum
Audiit horrendas ſtrages, quas ipſe maritus

Fecit,

Fecit, & indoluit primi post fata mariti
GAMRATI fratris dilecti Præsulis almi,
Qui Craci prudens antiquum rexit ouile.]
Sed quis Srzeniauas omnes percurrere posſit?
Quis Lubomirſciadas in bello, & pace potentes?
Ordo nimis longus ſi quisquam ab origine gentem
Dinumerare velit. Nitidas prius æthere ſtellas
Cognoſcet quot ſunt, & quot voluuntur arenæ
Fluctibus æquoreis, ſyluisque virentibus vdo
Quot folia excreſcunt vere, & quot flumine piſces.
Aſt vbi ſunt nati peperi quos mater in orbem?
Mors fera mors rapuit nullo placabilis æuo.
Heu miſeram ſortem, data quæ mortalibus ægris,
Tempore non longo terris homo viuit apertis.
Hem, quid priſca meis ego verſibus acta reuoluo?
Qualis erat, quantusque recens LVBOMIRSCIVS Heros?
Vt primum felix infans proceſsit in auras
Æthereas fotus ſummâ pietate parentum,
Continuo ore ſuo virtutum ſigna micabant.
Ille fuit ſolitus feſſos ridendo parentes
Delectare ſuos, oculis, manibusque decoris,
Vt gemmæ fulgent ſi quæ clauduntur in auro
Obrizo; ſic ille puer reſplenduit ore.
Hæc vbi ſunt? vultus periit decor ille coruſcus.
Heu miſeram matrem, quæ natos lumine cernit
Amiſiſſe decus, dolor eheu membra fatigat.
Cæpit vbi firmare gradus, mox docta ſcholarum
Limi-

Limina prosper init, fausto pede iussa parentum
Fida sequens, artes animoque capessit amænas
Et simul egregios oculis flagrantibus haurit
Mores, hinc puerum bellum BVZINIVS olim
Qui salis in manibus fodinas, & claustra tenebat
Dilexit, pueris iunxitque nepotibus ipsum.
Nunc vbi sunt artes? perierunt, atque venusti
Mores; succidit lethum, quæ læta fuerunt.
Heu miseram matrem, quæ natos lumine cernit
Amisisse decus, dolor eheu membra fatigat.
Annos excedens pueri, deductus in aulam est
Padnieuij, eximius qui Præsul in vrbe vetusta
Florebat Craci, vitâ spectabilis, ingens
Exemplar fidi populi, rudis atque iuuentæ,
Fontibus illius mores perfectius hausit
Exsiccans animo, quæ turbida forte latebant.
Sic tandem euasit melior formatus in aulâ.
Hæc vbi sunt? artes perierunt, atque vetusti
Mores; succidit lethum, quæ læta fuerunt.
Heu miseram matrem, quæ natos lumine cernit
Amisisse decus, dolor eheu membra fatigat.
Succreuit Lubomirsciades maturior æui
Iamque nitens pulchris virtutibus ore sereno
Cum reuocat dulcem pater ad sua limina natum,
Remque domi propriam mandat curare quotannis.
Haud segnis iuuenis, sequitur mandata parentis
In campis hominum turbas inuisit arantes

Quidue

Quidue domi fiat, quid ruri discere tentat.
Sic releuat patris curas, corpusque grauatum.
Iam cessauit agri cultus, iam cura quieuit.
Heu matrem miseram, quæ natos lumine cernit
Amisisse decus, dolor eheu membra fatigat.
Discedit genitor, fato compulsus acerbo
Ex vitâ, charo committens omnia nato.
Ille auidus, doctusque domum ratione gubernat,
Auget opes patrias solers, mediocria seruans
In rebus, crescunt argenti pondera, & auri,
Fata fauent, duro aspirat fortuna labori.
Humanæ quid non vincit solertia mentis?
Continuusque labor? villas & iugera latis
Camporum spaciis Russorum splendida terris,
Atque Polonorum, celsas arcesque, domosque,
Oppidaque aërio minitantia vertice cælo.
Noctes atque dies grandi vigil ære coëmit.
Sed iam liquit agros, arces, æra, oppida, villas.
Heu matrem miseram, quæ natos lumine cernit
Amisisse decus, dolor eheu membra fatigat,
Deinde sibi iunxit clarâ de gente Pieniąszkow
Annam connubio stabili, hæc sine prole recessit.
Sufficit huic aliam generosis moribus Annam
De Rusce, egregium decus. Olli copia pleno
Se cornu dedit, in lucem pulcherrima fudit
Pignora, dum Cypris fauet, ac Lucina labori.
Namque Stanislaum, & Ioachimum in luminis oras

 Milit,

Misit, qui patriam decorent, gentemque Polonam
Extendant, ventura per omnia secula natis.
Heu cecidit patris Ioachimus magna voluptas,
Acres dum Moschos petiit, cum Rege profectus.
Ipse STANISLAVS viuit spes vltima gentis
Ille Dei nutu recreabit prole labantem
Ritè domum, Lubomirsciadas ad sydera tollet
Ille suis factis, serisque nepotibus olim.
Perpetuis annis Lubomirscia pectora totis
Sauromatum viuent terris. clarique vigebunt.
Quid memorem natas? O multum prospera mater
BRANICIAE stirpis vario quàm flore coruscas!
Pignora quàm generas florentia, quamque perenni
Coniungis nexu gentes! Quid clariùs illis
Sauromatum dici poterit regionibus vltra?
Ecce sibi Princeps CATARINAM Illustris ab Ostrog
Sumpsit in vxorem; quæ dum sua vita manebat
Fæmina casta, tenax fidei fuit, ore pudica.
Ast OLESNICIVS SOPHIAM vir maximus alto
Corde sibi sociam fecit, qui Regia Moschis
Iussa dedit, decorans socialia fœdera Nymphæ,
Radomiæ is Castellani splendescit honore.
Quid? ZEBRZIDOVIO cessit (sic fata volebant)
BARBARA quæ tenero floret LVBOMIRSCIAS æuo,
An ZEBRZIDOVIOS quisquam superauerit? Horum
In pace ac bello clarescit viuida virtus.
CRISTINA deliciæ matris, iam nubilis extat.

 Limi-

Limina celſa terens patris, cui ſplendor ocellis
Emicat, exemplar moſtrans virtutis honeſtæ.
Mors ANNAM, & necuit LEONORAM falce tremendâ
In flore ætatis, caſto quarum altera clauſtro
Inter virgineos cœtus cadit, altera tectis
In patriis, magno matrisque, patrisque dolore.
Hæc tua progenies LVBOMIRSKI, hæc pulchra corona
Gentibus hac iunctus ſplendentia ſtemmata monſtras
Maiorum, Regni quæ prima ab origine durant.
Sed quid tot refero ſtirpes? mi nate periiti.
Te mihi te nullus crudeli à morte redemit.
Heu miſeram matrem, natos quæ lumine cernit
Amiſiſſe decus, dolor eheu membra fatigat.
Quàm bonus Oeconomus viuens fuit? Ipſa voluntas
Regum teſtatur. Fodinas ſalis ære parato
Conduxit Regni gazam, pulchreque miniſtrans
Wieliciæ, & Bochnæ meruit laudemque, decusque,
Præmia digna labor capit improbus, atque triumphat.
Quantus defenſor patriæ felicibus auſis?
Is quoties arſit Mauors, & claſsica bellum
Inſonuere, acies longas miſitque cohortes
Armiſonas, dirum detrudens finibus hoſtem.
Ergo Scytas contra ſemper Turcasque feroces,
Et Moſchos contra feruens exercitus ibat
Magnanimi Lubomirſciadæ. non agmine tanto
Hunc vicit quiſquam, neque ſplenduit ære coruſco.
O quoties hoſtes eius gemuere ſub armis?

 Poſt

Post STEPHANI mortem Batorei quanta per agros
Agmina deduxit? quám strages edidit altas!
Vrbs Craci vidit feruentem celsa patronum,
Mœniaque vrgentem turmas vidêre Bycynæ.
Quin etiam Regi si quando splendida coniunx
Ducta fuit, si quæ tempestas orta Polonis
Nullus splendidior turmis apparuit vsquam.
Vnde SIGISMVNDVS felix Stephanusque merentem
Illum bellator magno complexus amore.
Namque Monarcha potens SISMVNDVS honorem,
Ipsi donauit grandem Stephanusque Batoreus.
Castellanus enim factus fuit, ore Senator
Facundus, rerum prudens, patriæque columna
Firma suæ, Sendomiriæ Capitaneus amplæ
(Sandeciæ Præfecturam pater atque Scepusi
Dimisit nato, sic Rege fauente, suaui)
Dobczyciæque inter montes, & scrupea saxa.
Tantus erat patriæ, Regi quoque tantus amicus?
Heros perpetuo dignus qui viueret æuo.
Nunc vbi grandis honor? charitas vbi? visque Polonó
Conueniens? abiêre procul ceu fumus in auras.
Heu miseram matrem, natos quæ lumine cernit
Amisisse decus, dolor eheu membra fatigat.
Ecquis virtutes iam quæso recenseat omnes
Queis tota vitâ faustus resplenduit Heros?
Relligio cordi fuerat candore niuali
Hæc illum docuit sacratas ponere sedes,

Atque frequens onerare piis altaria donis.
Hæc dare Romualdo montem, ſyluamque virentem
Et villam ſancto, propè ripas fluminis altas.
Hæc Dominicanæ domui ſua tradere iuſsit
Pectora, quod latuitque mali præcordia ſubtus.
Hæc toties ſuaſit ſacras deſcendere ad aras,
Atque Dei toties venerandum ſumere corpus
Inque horâ mortis pectus munire timendæ,
Falſa vbi contempſit fallacis munera mundi.
An Franciſcanos vnquam dimiſit inanes?
Hic amor in cultum diuum, ſociosque tonantis.
Pectoribus ſolers micuit prudentia rerum,
Iuſtitiæque tenor diuæ: Nec fallere quenquam
WOYNICIVS voluit, potuit neque fallier ipſe,
Denique præcepit nato, ſua reddere cuiuis.
Quanta cibi potusque fuit, ſomnique ſalubris
Temperies? vitam canos hæc duxit ad annos.
Temporibus cunctis inopes releuare ſolebat.
Plura quid? excellæ videas hic robora mentis.
Eheu virtutum diuæ cecidêre catenæ.
  Heu miſeram matrem, natos quæ lumine cernit
  Amiſiſſe decus, dolor eheu membra fatigat.
Quàm fuit humanus(næ homines haud ſpreuit egenos,
Nec quenquam triſtem à vultu diſcedere ſiuit.
Ergo defuncti quoque circum corpora multi
Stant, mortéq; dolent Domini, lachrymasq; refundũt.
Aſpice quot pullâ incedunt en veſte dolorem
Teſta-

Testati? quàm procedunt nimis ordine longo?
Sic pietas Domini mortalia pectora vincit.
Et mihi quis matri color? aut oratio qualis?
Heu miseram matrem, natos quæ lumine cernit
Amisisse decus, dolor eheu membra fatigat
Quid superest? pallens corpus quàm ducere nati
Ad summæ Phanum Triadis, quà surgit in altum
Ara Deo, LVBOMIRSCIADVM constructa sacello
Hoc sibi dum vixit construxerat ære sepulchrum
Ingens non paruo, atq; suis LVBOMIRSCIVS Heros
Filius hîc recubat fraterque, & Filia Magni
WOINICII, hîc omnes requiescent sponte nepotes,
Hîc requiesce ergo fili mea cura, solique
Visceribus credas post mortem membra voracis,
Heu nutat languore caput, præcordia feruent,
Filius heu cecidit, iam non rediturus in orbem.
Plangite vos mecum fulgentes æthere stellæ,
Heu resonent syluæ, reboet mugitibus aër
Intonsi montes lachryment, vndæque fluentes.
Filius heu cecidit iam non rediturus in orbem.
Heu matrem miseram, quæ natos lumine cernit
Amisisse decus, dolor eheu membra fatigat.
Hæc dicens lachrymis terram rigat oraque crebris,
Singultusque graues imo de pectore ducit.
At virtus niueis labiis solata sororem
Sic breuiter. Viuit tuus ô dulcissima mater
Filius, humentes lachrymas effundere cessa,

Et querulas voces liquidas ne ſparge per auras;
Nullus enim nitidæ moritur virtutis alumnus,
Viuit in æternum virtus heroica tempus,
In cælo poſuit ſedem, ſummoque tonanti
Se famulam, ſociosque ſuos per ſæcula præbet.
Me LVBOMIRSCIADES vitâ ſectatus in omni,
Nunc etiam cæli pretioſa palatia mecum
Incolit, exiliens tellurem deſpicit imam,
Sub pedibusque videt nubem, ſolemque comantem
Æuo perpetuo fruitur, blandisque polorum
Deliciis, bellâ ſpectat facieque tonantem.
Ergo iam potius læti celebremus honorem
Illius, violas tumulo ſuper, albaque caltis
Lilia commiſtis, herbasque, roſasque rubentes
Spargamus, rutilus flos ſpiret amaracus, altas
Percurrens nares. Sic digni Heroës odore,
Qui me virtutem cunctis coluere diebus.
Gloria multicolor vero de ſanguine creta
Virtutis, leuibus quæ mundum diſſecat alis
Noctes atque dies ſuper aurea ſydera tollens
Facta hominum, roſeo genitrici dixit ab ore.
Quid tantis oneras mater te, nosque querelis?
Hic LVBOMIRSCIADES non eſt ſublatus acerbo
Funere, hyperboreis quia ſemper viuit in oris.
Nam ſanctos eius mores, vitamque per amplas
Concelebro terras. Sic filius integer æui eſt,
Viuit in arce pòli, terrâ viuitque globoſâ

Iuſtitia

Iustitia, alma fides, rerum prudentia mater,
Et Lvbomirsciadae virtutum exercitus omnis
Viuit, perpetuumque dein victurus in æuum.
Desine iam tandem querulas emittere voces.
Quin lætare parens, natum cui gignere talem
Fas erat, vt patriam vultu recrearet anhelam.
Purpureos igitur flores, viridesque corollas
Sparge vnà placido mecum sic ore precata.
O vtinam tales liceat genuisse nepotes
Qui decorent patriam factis super æthera clari.
Sarmatia inde parens. Meus ergo filius orbe
Viuit? perpetuum viuat regnetque per æuum.
Viuat iuncta sibi coniunx cum stirpe beata
Affines vincti generoso sanguine Vivant.